Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XVIII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

CAPUT XVIII.

DE SERPENTE MARINO & STURIONE.

IN mari ſerpentes eſſe certiſſimum ; diverſæ eoſdem magnitudinis hiſtoriæ oſtendunt. In Africa triremes evertere & trucidare homines Ariſtoteles refert ; Circa Norvegiam ad centum aut ducentos pedes longum tranquillo apparere mari , nautis infeſtum adeo, ut hominem quandoque è navi abripiat, ſcripſit *Olaus Magnus*. Pugnam eorum cum terreſtribus *Schiltbergerus quidam Bavarus* deſcripſit. *In regno Genyck vocato* (verba ejus) *urbs eſt nomine Sampſon. Eam , quo tempore ego apud Vrejaſitam Turcarum Regem eram , Colubri aquatiles ac ſerpentes terreſtres innumeri circumquaque per milliaris ſpacium circumdabant. Veniebant autem hi ex ſylvis , quæ multa ſunt in vicina regione , illi vero è mari. Hi dum colliguntur per novem dies , nemo præ metu ex urbe egredi audebat , quamvis nec hominem , nec alia animalia lædebant. Decimo die duo hæc ſerpentum genera inchoatum diluculo conflictum ad Solis uſque occaſum produxere. Cedebant autem aquatiles terreſtribus ; & poſtridie octo occiſorum inventa ſunt millia. Sturionem* in Albi tabeſcere multi credunt ; *Geſnerus* aliquando ſexaginta librarum ſupra ducentas pondo captum , à Iohanne Frederico Saxoniæ Electore totidem florenis emptum tradit. Cauda tantum valet ut ligna diſſecet , hominem robuſtum proſternat , ex lapidibus , ſi eos percuſſerit ignem eliciat. Id autem attritu oſſiculorum quibus toto corpore mucronatus horret.

CAPVT